





1725/13 № 8.

115

14

DISSERTATIO IN AVGVRALIS JVRIDICA

DE

13

# JURE INFANTVM,

QVAM

RECTORE VNIVERSITATIS AC PRO-CANCELLARIO,  
VIRO MAGNIFICO, MAXIME REVERENDO, ILLVSTRI, AMPLIS-  
SIMO ATQUE CONSULTISSIMO

DOMINO

CHRISTOPHORO IGNATIO  
DE GVDENVS, J.V.D.

IN SIGNIS ECCLES. COLLEG. S. SEV. CAN. CAP. ET SCHOLAST. EMINENT. AC  
CELSISS. PRINC. ELECTORIS MOGVNT. CONSIL. ECCLESIAST. EJVSDEM-

QVE PER THVRING. IN SPIRIT. SIGILLIFERO,

EX DECRETO ET AUTORITATE ILLVSTR. JCTOR. ORDIN.  
IN PERANTIQUA ERFFURTINA

PRÆSIDE

DN. JOHANNE HENRICO Meier/  
JCTO,

ELECTORAL. REGIM. CONSILIA. DECRETAL. PROF. PVBL. VNIVERSITAT.  
ET FACVL. JVRID. SENIORE, H. T. DECANO, NEC NON JVDIC.  
PROVINC. ASSESSORE PRIMARIO,

## PRO LICENTIA

SVPREMOS IN VTROQVE JURE HONORES ET  
PRIVILEGIA DOCTORALIA MORE MAJORVM  
ADIPISCENDI,

DIE XXVII. IUNII ANNO M DCC XXV.

IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI, HORIS CONSVENT.

PVBLICÆ DISQVISITIONI SVBMITTIT

JOHANNES PAVLVS SCHMIDT, Cygnea-Misn.  
ADVOCATVS IMMATRICVLATVS.

ERFORDIAE,  
TYPIS GROSCHIANIS, ACAD. TYPOGR.

DISCUSSIONE IN MATERIA DI MEDICINA

MAGISTER IOACHIMUS

CLAVIUS

PHYSICI

ET BOTANISTI

DA ROMA

AD FRANCIA

ET ITALIA

ET CLOACIA



DISSERTATIO INAVGURALIS JVRIDICA  
DE JVRE INFANTVM.

§. I.



Vanquam in pertractando quoque themate, pragmatologia multis parasangis praferenda sit onomatologiae, hæc tamen non semper plane est negligenda, præsertim, si thematis vocabulum unum vel alterum æquivocatione laboret, utpote quæ, ne confusio oriatur, utique tollenda, aut saltem indicanda prius est, quam ad ipsius rei tractationem accedatur. Operè pretium igitur erit, in diversas vocis INFANS significationes ante inquirere, quam ipsa infantum jura perlustrum.

§. II.

INFANS in propriâ atque nativâ suâ significatione, atque vi etymi, prolem, quæ farī adhuc nequit, denotat, quæ significatio est usitissima & maximè genuina. Infantilis igitur aetas primo vita circiter absolvitur biennio; bimuli enim plerumque jam loquî incipiunt. Meritò autem in determinanda infantili aetate inspectatur tempus,

A 2

quo

quo plerique tenelli fari incipiunt, cum apud aliquos eorumdem loquendi facultas sat diu, & ea propter sat anxiè quoque, nonnunquam expectetur; quemadmodum de Augustissimo Imperatore Maximiliano I. referunt historiarum monumenta, quòd nono ætatis suæ anno fari adhuc nequierit, ut inde Augustissimi Parentes ipsius metuerint, ne plane mutus evaderet, postmodum tamen satis disertus factus est. Ineptum igitur esset, aliquem octo, novem, vel plane decem aenorum infantibus accensere, licet loqui nondum posset.

## §. III.

Voce *Infantum* itaque in propriâ sua significatione indigitamus tenellos lactentes & in cunis vagientes, ut & qui ambulare nondum possunt, ob membrorum nimiam teneritudinem. Imò & nondum natæ sôbiles ad infantum propriæ dictarum classem pertinent, quid? quod infantum nomine in specie nondum natos & in utero latentes venire, testatur BRVNNEMANN in *Comment. ad L. 18. C. ad L. Cornel. de Sicar.* Ubi quippe asserit, quod communiter d. l. 8. de foetu in utero vivente intelligent, allegans HILLIGERVM in *Donecl. Lib. VII. cap. 9. lit. D.* quæ autem lex de infantis occisione loqui communiter censemur. Consentir, ut alios taceam, MENOCHIUS de *Arbitr. Jud. quæst. Lib. 2. Cent. 1. casu 57. n. 8.* provocans ad ipsam sacram paginam, utpote quæ *Lucæ I. 41. ira: Et factum est, ut audivit salutationem Marie Elisabeth, exultavit infans in utero ejus;* nec obstat, quod n. 7. Menochius dicat: infantilem atatem à nativitate incipere, nulla quippe ætas infantibus nondum natis tribuitur, quod tamen non impedit, quo minus etiam fœtus animatus, in utero latens, infans dicatur, nec video, quæ ratio nos cogat, ut impropriæ solum infantum nomen embryonibus competere statuamus; quam limitationem Menochius c. l. adhibet; citra dubium enim infans, propriæ dictus, ille est, qui omni rationis usu destitutus, fari nondum potest, quod non minus de infante nondum nato, quam in lucem edito, verum est.

## §. IV.

## §. IV.

Ast originarium hunc ipsique etymo convenienterem vocis *Infans* significatum haud parum ampliavit Jus Civile, atatem infantilem integro augens quinquennio. Cum enim strictè loquendo, *infans* vocetur tenellus, qui biennum nondum excessit, totum leptennium infantili ab eo tribuitur atati, in L. 18. C. de Jar. delibet. L. 14. ff. de Sponsal. L. I. §. 2. ff. de Administ. & peric. Tutor. quam atatis infantilis determinationem etiam *Glossa* innumeris ferè in locis approbavit, & receptissimam DD. sententiam pronunciavit MENOCH. l. c. n. 9. quod usus loquendi apud Germanos dudum receptus infantili atati totum primum vita decenium tribuerit, uti vel notissimi illi Majorum nostrorum rythmi de habitus nostri corporis constitutione in quo libet decennio a nativitate ad centesimum usque atatis annum, docere posunt, ita sonantes: Zehen Jahr ein Kind, zwanzig Jahr ein Jungling, 30. Jahr ein Mann, 40. Jahr wohl gehan, 50. Jahr stille stahn, 60. Jahr gehts Alter an, 70. Jahr ein Greis, 80. Jahr nimmer weiß, 90. Jahr der Kinder-Spott, 100. Jahr genade Göt.

## §. V.

Ad vocis *Infans* homonymiam nonnulli etiam referunt, quod peculiari significatu soboles Regia in Hispania & Lusitania tum nomine *Infant* appelletur, quād denominatione haud exiguum dignitatem insinuare, vel ex eo perspici potest, quod Imperator Ferdinandus I. Caroli V. frater, etiam post adeptos Regios titulos nullus dubitaverit, ea non solum uti, sed & eandem ipsi Archiducali anteponere, scribendo: Wir Ferdinand, von Gottes Gnaden zu Ungarn und Böhheimb, Dalmatien, Croatię &c. König, Infant in Hispanien, Erz-Hergog zu Oesterreich &c. observante BECHMANNO in notit. dignitat. illastr. Dissert. III. cap. 4. n. 2. ast si verum est, quod nonnulli tradunt, hic titulus natales suos habet non ex lingua latina, sed Cantabrica, & olim idem significavit ac Regulus, ita enim MARIAN. Lib. 10. c. 1. citante CHRISTOPH. BECMANNO c. 1. Carrionis Reguli Diebus & Ferdinandus

A 3

(Infan-

(*Infantes vulgo dicimus*) *Viri ea etate in Hispania & genere & copiis nobilissimi.* Toto coelo igitur differt hic Hispanorum & Lusitanorum prolixi Regiae titulus à Latinorum voce *Infans*, unde & sāpe non *INFANTEM*, sed *INFANTIVM*, *INFANTAM* Cataoricam illam vocem latinè reddunt scriptores Hispani, Apanagiumque liberis Regis concessum, non *Infantile* sed *Infantascum* appellant.

## §. VI.

Sufficiat autem hoc quoad onomatologiam thematis nostri in medium attulisse; jam ad ipsam pragmatologiam accedamus, ac quid Jura nostra intuitu infantilis aetatis disponant, dispiciamus. Ordinis autem ratio postulat, ut primum infantum nondum natorum jura consideremus. Ius autem nostrum prima fronte parum favere videtur liberalis, in utero matris adhuc latentibus, utpote quos ne homines quidem verè tales dici posse, pronunciat in L. q. ff. 3. r. ad leg. Falcid. quod mirum sane est, cum præsertim de quo vis partu nondum in lucem edito lex ea loquatur. Qui enim negari potest, foetus perfectum & vividum, ut ut materno in utero adhuc latentem, esse hominem; cùm ei definitio hominis ab omnibus fere JCtis & Philosoph. approbata, quā nimirum homo animal rationale esse dicitur, citra dubium competat? nec enim est quod quis forsan regerat, Ratione Infantes in utero materno distitui; siquidem in promptu esset distinctio inter Rationem ipsam & ejus usum, atque hoc, non illā embryones in utero materno occlusos distitui. Et sane si à deficiente Rationis usu ad ipsius rationis defectum consequentia valeret; eodem jure etiam recens natis infantibus, in modo omnibus intra primum aetatis annum constitutis, denegari Ratio posset, cum & hi omnes Rationis usu citra controversiam destituantur. Rationem autem embryonibus aquae, ac infantibus, jam natis, denegari non posse, vel inde patet, quod ipisis anima rationalis denegari nequeat. Sed hac *ad iuris*.

## §. VII.

## §. VII.

Notanter dixi Infantibus nondum natis primā fronte parūm favere jus nostrum videri, & quidem allatam ob rationem reverā enim satis faveat id ipsum tenellis iſis, quōd vel titulus ff. de ventre in possessionem mittendo testari satis potest. Nam in hoc nasciturorum etiam liberorum nomine Prator Edicto suo dat singularem bonorum possessionem, qua dari dicitur vice bonorum possessionis contra Tabulas, L. i. ff. pr. d. t. quandoque tamē etiam loco Bonorum possessionis secundum Tabulas L. i. §. 12. cod. quandoque loco Bonorum possessionis unde liberi, L. 7. §. 1. cod. quandoque loco Bonorum Possessionis unde legitimi L. ead. quandoque tandem loco Bonorum Possessionis unde cognati L. ead. & f. d. t. Ut autem hoc Pratoris Edictum locum habeat, requiritur 1.) ut mater sit defuncta vel vidua, vel nurus, L. i. §. 13. b. t. 2.) ut revera sit pragnans nō riente eo, de cuius bonis agitur, & insuper eo tempore, quo se mitti petit, L. i. §. 1. cod. Etenim si sciens, se pragnantem non esse, petierit missione, re compertā, ad impensarum restitutionem tenetur. d. L. i. §. f. tum enim per caluniam in possessionem venisse dicitur, L. i. §. 2. ff. Si mulier ventris nomine &c. & adversus eam datur actio in factum, qua est personalis, famosa, L. 15. 16. & 19. ff. de his, qui not. insam. (cuius ratio est in L. 17. ff. eod.) penalnis, annalis L. i. §. 13. Si mulier ventris &c. competitque ei, cuius interest, in possessionem eam missam non fuisse d. L. i. §. 6. ad id, quanti ipsius interest, d. L. i. §. 4. nec solum contra mulierem datur haec actio, sed etiam Patrem ejus, si per eum factum sit, ut mulier in possessionem misla fuerit, d. L. i. §. 5. & f.

## §. VIII.

Tertio requiritur ut venfer, (id est embryo in ute-ro latens, ventrem enim JCTi per metonymiam appellant ipsum foetum, qui in ventre est) sit præteritus, huic enim, non exhaeredato, Prator Edicto suo opitulatur L. i. §. 2. ff. de Ventre in poss. mitt. exceptis casibus in d. L. i. §. 5. & 9.

Non-

Nonnulli exceptionem etiam contineri volunt in casu §. 3.  
*b. L.* exhæredationis nimirum his verbis facta: *Si mihi filius unus nascetur, exhaeres est, & nata vel filia, vel plurimum filiorum vel filii filiaque simul; sed perperam, cum tali in casu conditio testatoris exhæredationi adjecta non extiterit, & adeo nata filia vel nati filii exhæredati ab ipso haud fuerint.* Ceterum veteri solū jure venter exhæredari potuit, nam jure novo id mutatum est; cum enim juxta hoc non nisi ex justa ingratitudinis causa, nominatim expressa in Novella 115. C. 3. exhæredatio fieri possit, in ventrem autem nulla cadat ingratitudo, consequens est, jure novo eundem exhæredari non posse. Interim patet exinde, Jus Vetus Civile in nondum natos infantes sic satis iniquum fuisse, ut hinc non immerito miretur VINYUS in *Comment. ad nosfr. t. §. 2.* idem hanc exhæredationem manifestè ini quam tolerasse; interim per Jus prætorium sufficiens mendeta eidem, ut hæc tenus vidimus, fuit adhibita.

## §. IX.

Quartum requisitum est, ut mulier sit paritura eum, qui futurus est suis hæres, *L. i. §. 2. ff. de ventre in poss.* durat autem hæc posses̄io, donec vel pepererit, vel abortum fecerit, vel cognitum fuerit, eam non esse prægnantem, *L. i. §. fin. eod.* hifce quippe in casibus cessat finis, ob quem in possessionem missa fuerit. Hoc autem quando factum est, solet eidem curator dari, qui ventris curam administraret, *L. i. §. 17. eod.* neutiquam vero Tutor, cuius rei rationem reddit TIRQUELL in *Tr. de retractu gentilium.* §. 1. glossa 9. n. 78. quia, inquit, Tutor principaliter datur personæ, curator bonis §. 4. *Inst. qui testam. Tut. dari poss.* Is autem, qui nondum natus est, persona non est. Ceterum STRUVIUS in *Syntagmate Jur. Civ. Exercit.* XXXVII. tb. 46. statuit, ob incertum eventum non veram bonorum possessionem, seu jus hæreditarium Prætorium tribui, sed tantum detentionem & custodiā, usque dum vel partus nascatur, vel abortum mulier fecerit, vel appareat, eam non esse prægnantem.

## §. X.

## §. X.

Porrò notum est, infantem in utero matris adhuc hospitantem, huic dilationem vel irrogandi ultimi supplicii, vel alius poenæ corporis afflictivæ procurare, usque dum nimirum vel pepererit, vel, quod haud raro continet, abortum passa fuerit, L. 3. ff. de penit. L. 18. ff. de statu hom. ne scilicet innocens infans cum matre simul puniatur, Jul. Clar. in praet. §. ult. quæst. 97. n. 5. CARERIVS in Pr. Crim. tit. de homicid. §. circa itaque secundum n. 22. Quinimò post editum parrum, si infantem lactat, non nisi elapsis sex hebdomadibus, poena corporis afflictiva matrem, & mitius quidem ac alias, afficiendam esse, insuper vult CARPZ. in pr. crimin. P. 3. quæst. 137. ea ex ratione, quod facilime fieri alias posset, ut partus, recens editus, ob nutrimenti & lactis materni corruptionem periret; sed hæc ratio non minus valerer ad differendum supplicium longe ultra sex septimanas, post totum nimirum lactationis tempus: quotiescumque enim mulier lactans excandescit, toties lac adeo corruptitur, ut facilime lactanti adhuc infanti convulsiones epilepticas cieat. Sed quemadmodum non esset consultum, per tantum temporis spatium supplicium differre, cum interea temporis enori possit, & adeo impunita e vivis excedere, incolumitatique infantis alio modo consuli queat, eundem nimirum per biduum vel triduum alii lactandum tradendo mulieri, cum pauxillum intra temporis spatium lac à noxa, quam ex ira contraxit, liberetur; ita non infans lactans vera est causa, ob quam differenda est irroganda matri poena corporis afflictiva, nimirum per sex a puerperio septimanas (qua dies purgationis vocantur) sed potius solita plerumque puerperarum intra id tempus corporis debilitas. Ultimum autem supplicium hac ex causa differendum non esse, in aprico est.

## §. XI.

Alia inter sinistra fata, queis infantes nondum nati subjacent, est etiam abortus, sive ille casu fortuito accidat,

B

dat,

dat, sive dolo malo procuretur. Delictum hoc procurati dolo malo abortus, homicidio aequiparatur, tum juxta communem DD. opinionem in jure Civili, nimurum L. 38. §. 5. de pœn. tum in *Constit. Crim. Carolin. artic. 133.* Diversas DD. L. d. 38. adhibent interpretationes verò BOCERVIS quippe in *Tr. de omn. gen. homicid. L. I. C. I. n. 46.* & seqq. per mulierem intelligendam vult gravidam; cui abortus poculum exhibitum; per hominem vero partum, seu infans, quem in utero illa gerit; HAHNIVS e contrario in *Observat. ad Wesenb. Comment. in D. tit. ad L. Cornel. de Sicar n. 5.* hunc esse vult legis sensum, quod nimurum 1.) qui dedit poculum abortionis, capite puniendus sit, si eo periret mulier; & 2.) qui dedit poculum amatorium, is capite pariter plementus, si eo periret homo in genere, sive mas, sive foemina, quia amatoria poculo potest tam mas, quam foemina perire; nec locum esse posse communi, quam BOCERVS tuetur, interpretationi, cum textus eō intelligi de enecatione partus haud posit, quod hoc in casu non indistincte locus sit pœna capitali, sed tum denum, si fœtus fuerit animatus; deinde etiam ex communi illa interpretatione hoc absurdum consequi, si foemina dedisset poculum amatorium mari, ut hic inde perierit, illam fore impunem, cum vox mulier referatur ad poculum amatorium. Et fatendum sane, plausibiles esse has HAHNI rationes: interim dispositio *Constitutionis erim. Carol. de poena capitali, abortum fœtus animati procuranti irroganda, extra omnem dubitationis, aut ambiguitatis, aleam esse deprehenditur.*

## §. XII.

Nihilo minus dubito, ubi vis locorum rigidam hanc procurati abortus fœtus, quantumvis vitalis, pœnam adhuc esse in usu. Imo dudum ANTON THESAVRVS in *Decis. XI.* n. 3. 4. 5. MENOCHIVS de Arbitr. *Jud. Quæst. L. II. casu 357.* & DECIUS *Conſl. 535. n. 3. fol. 576.* statuerunt, eum, qui abegit partum, sive vitalem, sive non vitalem, indistincte, non ultimo supplicio, sed vel relegatione, vel ad summum suffraga-

fligatione puniendum esse. E contrario inaudito rigore statuit DAMHOVDER. in *Praxi rerum Criminalium*, cap. LXX. n. 14. Si mulier imprægnata ante fœtus animationem ullam ab aliquo accepisset pecuniam, ut præmature fœtum illum embryonis nondum animati per noxia quæpiam, aut per medicamenta, corruptum ejiceret, eam non solum exilio, sed gravius multo puniendam esse, nempe poena capitatis, citra ullam distinctionem, an vixisset partus, an vero minus: idque propter detestabilem illam pecunia receperæ turpitudinem, quam assassinum vocant. Provocat quidem, ut probet, hunc rigorem LL. Jur. Civ. esse conformem, ad L. 39. de pen. ast ea in lege saltim recensetur, Ciceronem in Oratione pro Cluentio Avito scripsisse, Milesiam quandam mulierem, cum esset in Asia, quod ab hæredibus secundis, acceptâ pecuniâ, partum sibi medicamentis ipsa abegisset, rei capitalis esse damnatam.

## §. XIII.

Sed tantum abest, PAPINIANVM, legis hujus autorem, convenientem huic delicto hanc poenam judicasle, ut potius in subsequentibus testetur, ab optimis Imperatoribus Romanis rescriptum esse, ut temporali exilio coerceretur mulier, quæ visceribus suis, post divortium, quod prægans fuit, vim intulerit, ne jam inimico marito filium procuraret. Præterea ambo hi casus iis circumstantiis sunt vestiti, quæ crimen procurari abortus non parum aggravant; in primo enim mulier illa per procuratum abortum hæreditatem iis torsam procuraverat, ad quos devoluta haud fuisse, si peperisset, quid si enim defunctus hæredes scripsisset extraneos, in casum, quod relicta vidua non pareret? nonne, si peperisset, & partus ante annos pubertatis mortuus fuisse, hæredes ab intestato hæreditatem accepissent, quibus adeo per abortus procurationem ablata est? In posteriori autem casu, maxima injuria per hoc delictum maritum suum afficeret mulier illa, quæ divortium passa est: DAMHOVDERVS autem specialem talen casum non supponit, sed in genere ultimo supplicio

B 2.

affi-

afficiendam contendit mulierem, quæ, accepta pecunia, partum sibi abegit, sive is etiam animatus, sive inanimatus fuerit. Animatus autem præsumitur fœtus juxta nonnullos DD. trigesimo à conceptione die, aut ad sumnum trigesimo quinto. Alii distinguendum hic volunt, inter fœtum masculini & fœminini sexus, illumque vitam nancisciri die quadragesimo, hunc autem demum octogesimo: quam opinionem quoque confirmat *Glossa, DAMHOVEN DER. l. c. n. 15.*

#### §. XIV.

Peculiare etiam quid de eo casu LL. disponunt, si quis uxorem prægnantem relinquat, liberosque alios superfites habeat, tum enim tres portiones ventri cedunt, cum nesciatur, an non forsitan genitos, vel plane tergeminos prægnans vidua enixura sit, immo experientia testetur, mulieres quasdam interdum 4. s. velsæx, immo septem peperisse una vice, vel, in casu superfoetationis, exiguo intervallo. Legis latores itaque numerum medium determinarunt, quem ad summum enixuram esse gravidam, credibile sit, nimurum ternarium, L. 3. § 4. si pars heredit. pet. LAUTERB. ad d. t. Sed & dissimulare non possum, antinomiam non levem hic in LL. nostris occurrere, juxta L. 30. §. 6. de acquirend. hered. enim dimidia pars hereditatis, quasi unam prolem sit paritura; juxta L. 36. de solut. autem quinque assignandæ videntur. Quo in LL. conflictu tutissimum forsitan erit, cum JC TO PAULO in antea cit. L. 3. si pars hered. pet. medianam eligere viam, ventrique nec unam, nec quinque hereditatis portiones assignare, sed tres, cum ternarius numerus sit medium proportionale Arithmeticum inter 1. & 5. Quam sententiam ideo etiam amplectitur VINNUS in Exercit. ad ff. d. 4. Interim parum, vel nihil præjudicabit reliquis heredibus, quot partes ventri attribuantur, si enim non tot nascantur, quot partes ventri assignatae fuerint, quod singulis heredibus deest, accrescet, si autem plures, pro rata id, quod justo plus quisque habet, decrescet L. 4. d. t.

d. t. si pars hæred. VENN. c. I. STRYK. in Not. ad Compend. LAUTERBACH. d. t.

§. XV.

Hactenus consideravimus infantes nondum natos, sed in utero materno adhuc latentes, & quid ipsorum intuitu LL. disponant; jam quid eadem circa eos ipsos, postquam in lucem sunt editi, sanciant, ititem dispiciamus. Aequi-paratur nimirum infans, tenerrimæ præsentim aetatis, furioso, adeo, ut, sicut furiosus casu agit, quicquid agit, I. ult. in fin. de Administ. Tut. ita etiam infans. Pariter sicut furiosi nullus ullo in actu est consensus, cum non intelligat, quid agat; siveque absenti & ignorantie comparetur L. 17. §. filio de injuriis L. 7. §. fin. de J. Codicilli. ita quoque infans consensus perfecti capax non est §. 10. Inst. de inut. Stipul. & L. 5. C. de Emancipat. imo nullius sensus esse dicuntur in L. 32. §. 2. de Acquir. & amitt. possess. & ejus aratis, ut nondum intelligat, quid agatur, L. 1. §. 13. de O. & T. Interim tamen etiam fatendum est, in nonnullis differre infantem & furiosum: Infantibus enim per Tutores acquiritur ita, ut etiam possidere, & usu capere possint, L. 32. §. 2. de Acquir. & amitt. possess. L. 18. C. de Jure deliberandi: furiosus autem per Curatores non item L. 5. ff. de Reg. Jur. cum Tutor persona detur, siveque ejus defectum suppleat, Curator autem rebus, qui vitium furiosi supplere nequit, vid. WESENBEC. ad Inst. tit. de inut. stipulat.

§. XVI.

Porro omni culpâ & dolo carere dicuntur in jure nostro infantes L. 1. C. de falsa moneta L. 55. in fin. ff. de Fideicommiss. libert. si damnum dederint, Aquiliâ non tenentur, L. 5. §. 2. ad L. Aquil. si quid perdiderint, aut corruperint, impunitate gaudent, L. 60. ff. de Reivind. & innocentia consiliâ à poena homicidii ipsos excusat, L. 12. ff. ad L. Cornel. de Sicar. cum stabilem mentem non habeant, L. ult. C. de Testam. milit. & nihil scire præsumantur L. fin. de Juris & fæti ignor. Sed ad specialiora Jura accedamus.

B 3

§. XVII.

## §. XVII.

Quamvis, juxta ordinarium naturæ cursum, infantes decimo à conceptione mense in lucem prodire soleant, atque hinc si undecimo vel duodecimo ab ultimo concubitu maritali mense infans demum nascatur, non exigua oriri possit suspicio adulterii contra matrem, nonnulli tamen DD. pro legitimo agnoscendum esse volunt partum, qui sub initium undecimi mensis in lucem est editus, quos inter etiam est CARPOVIUS in *Jurispr. Fören* P. 4. *Confit. 27. def. ult.* provocans ad auctoritatem Hippocratis in libro de partu octomestri circa fin. testimonium PLINI in libr. 9. Natur. Hist. c. 5. ARISTOTELIS libr. 7. histor. animal. cap. 4. GELLIU liber. 3. Noft. Att. cap. 15. & TIRAQVELLI in *Lege* si unquam, verb. suscepit liberos n. 208. & seqq. Verum enim vero valde dubito, an vel Hippocratis, vel ullius alterius, quantumvis experientissimi Medicis autoritas hic sufficiens sit, cum non nisi per experientiam hæc res cognosci possit: hæc autem si unquam certe hic fallax est, (fallacem autem esse, ipse Hippocrates fatetur in apb. 1. sect. 1. i. τέλειος, inquiens, ὅφασθεν) nam nudo nititur ipsius matris testimonio, cui quantum fidendum sit, quando præsertim ipsius maximè interest, partum haberri pro legitimo, e.g. quando hæreditas in partum, vel ipsammet matrem, si pro legitimo agnoscatur, devolvitur, quæ alias extraneis obtinget hæredibus, cuilibet judicandum relinquo.

## §. XVIII.

Sic quando GELLIUS l. c. narrat, Romæ contigisse, ut foemina bonis atque honestis moribus, nec ambiguâ pudicitia, undecimo mense, post mariti mortem, pepererit, admodum suspicor, licet foemina illa non ex im pudicitia cum alio, vel post mortem mariti, vel ea instantे, concubuerit, facile tamen, ob insigne speratum ex imprægnatione lucrum id contigisse potuerit, si nimirum defunctus maritus nullos reliquisset liberos, quam circumstantiam, cum non annotaverit Gellius, ipius narratio nullum

lum vel probabile argumentum pro legitimitate partus  
undecimembris suppeditare potest.

## 6. XIX.

Simile judicium de aliis similibus historiis puto ferendum, omnes nimirum esse sublestæ fidei, præsertim quando omni verisimilitudine destituantur, e. g. quando SPIGEL in Epist. de in certo temp. partus, FRANCISCI PLAZZONI PAV. Lib. de part. generat. infervient. adjecta, afferit, quod præter naturam accidere posset, ut foetus prodeat in lucem duodecimo mense, cum ultra undecimum mensem, decimo tertio, quarto, quinto, prorogari aliquando partum, tum veteres, tum recentiores narrarint, provocans etiam ad Legem apud Britannos adhuc, ut ait, vigentem, vigore cuius maritus teneatur prolem, utut toto anno spatio, vel ulteriori, post ipsius ultimum discessum, natum, pro suo agnoscere. An unquam talis lex apud Britannos obtinuerit, valde dubito, adhuc magis autem, quod tempore hujus autoris etiamnum obtinuerit. Si unquam extiterit, mulieres eam tulisse, credere fas est. Quomodo enim viris, ut legem thoro suo conjugali adeo perniciosa, in modo adulteris latam portam aperientem ferrent, in mentem venire potuerit, non video; certè ipsos omni planè zelotypiā caruisse oportet. In Disputatione quadam Jenæ 1699. de partu humano legitimo & illegitimo habitâ cap. III. n. 26. allegatum deprehendi ARISTOTELEM, quasi ipse quoque Lib. VII. hist. animal. cap. 5. narraret, nonnullas mulieres XIV. mensis uterum gestasse; quod tamen falsissimum est, siquidem alleg. cap. ne verbulum de gestationis tempore habet, sed potius de eo tempore, quo tam mares, quam foeminae generationis negotio idonei idoneævè esse incipient, & desinant, tractat; in superius alleg. Cap. 4. autem, ubi de partus tempore agit, id saltem habet, quod nonnullæ mulieres pariendo undecimum tangant, & adeò nonnisi ad principium usque undecimi mensis pariendo tempus nonnunquam protelari, afferit, tantum abest, ut illud ad duodecimum vel tredecimum, nedium decimum

quar-

quartum mensem prorahi posse, statuat. An itidem ibid. alleg. NICOL. FLORENTIN. serm. 6. de membr. genital. tr. 3. c. 9. exempla decimo quarto mense in lucem demum editorum partuum afferat, videant, quibus is liber ad manus est. Forsan id etiam confictum est.

## §. XX.

Lubrico igitur admodum fundamento nituntur, qui undecimèstrem partum indistinctè, sive primores solum dies, sive medium aut plane finem attigerit, legitimum pronunciant, quod tamen haud raro factum est, quemadmodum JOACH. à BEVST. in Tr. de Sponsal. & matrim. P. II. n. 36. in fin. de Consistorialibus Witteberg. refert, quod partum fœminæ, quæ ante & post obitum mariti honeste vixerat, mense undecimo à dicto obitu mariti in lucem editum, legitimum esse, pronunciarint. Nec sufficiens fulcimentum præbere potest HIPPOCRATES sub finem Libri de partu Octomestri pronuncians: *Necessæ est, plerasque mulieres circa plenilunium 5 ulterius in utero concipere, ita ut saepe videantur ducenti octoginta dies undecimum mensem attingere, hi siquidem dies septem quadragenarios compleant.* Cum enim ultra plenilunium mulier concipit, hoc totum undecimum mensem attingere, *necessæ est, ut siquidem ad extreum circuitum perveniat.* Quotidiana enim experientia contrarium testatur, nec naturalis ratio ulla appareat, cur plerasque mulieres circa plenilunii tempus concipient. Satis sapienter igitur jam olim LL. XII. Tabul. post decem menses à die mortis natum, ad legitimam hæreditatem non admittendum statuerunt, cuncteque olim Testatores conditionem in testamentis suis, vel codicillis, expresserunt: *Sintra X. menses à morte mea posthumus mihi natus fuerit, seu videre est in L. 29. pr. de liber. & posthum. L. ult. de fiduci commiss. libert. & L. ult. C. d. posthum. hæred. infit. &clare plane hanc rem decidit L. 3. §. II. de suis & legitim. hæred. ubi ULPIANUS: Post X. menses mortis, inquit, natus, non admittetur ad legitimam hæreditatem.* Cum igitur undecimèstrem partum simpliciter & indistinctè lex ista tam clare reprobet, quid de legitimitate duodecimestrī

mestris, ulteriorumque, sentiendum sit, in aprico est. Graviter de hac re QUINTILIANVS: Quodam sunt, inquit, quæ nec negari, nec defendi, nec transferri possunt. Adulterii rea est, quæ cum vidua fuisset, enixa est. Lis non erit. Quare illud stultissime præcipitur, quod defendi non possit, Lib. III. Inst. Orat. cap. 13. nec verè minus, quam jocose, Majores jamjam nostri dixerunt: Die Kinder sind keine Männer, sie wissen wohl wenn sie kommen sollen.

## §. XXI.

Alia partus tempora quod attinet, notum est, de octo-  
mestri imprimis non solum inter JCTos, sed & Medicos, in-  
signiter decertatum tuuisse, an ille sit vitalis & perfectus,  
Hippocrates in Lib. de octomestri partu negat, cuius autori-  
tatem ex JCTis quam plurimi sequuntur, e. g. CYNVS, BAR-  
TOUS, BALDUS, ALCIA FVS, TIRAZYLL, MENOCHIUS, MAN-  
TICA, JVL. CLARUS, CVJACIUS, SOCINUS, GIURBA, &c. Aristo-  
teles contra affirmat, Lib. VII. Hist. animal. cap. 4. qui etiam  
suos habet sequaces, numero tamen non pauciores. Cu-  
jus sententia cum Alphonso à Caranza in Tr. de Partu na-  
turali & Legitimo Cap. XI. n. 37. & 48. & ego accedo, faciunt  
que nobiscum ex JCTis: ANGELVS, BERTRANDUS, CORNEUS,  
CÆPOLLVS, BOERIVS, FELINVS, PARISIVS, BVRSATVS, INTRI-  
GLIOVS, EQVINARIUS BARO, ZACCHIAS, CHOPPINVS, ARV-  
MÆVS, PEREGRINVVS, &c. Et meritò hic dicere: non opus est  
verbis, ubi rerum testimonia adsum, dudum enim Experientia,  
omnium rerum magistra, nos edocuit, dari partum octo-  
mestrem vitalem atque perfectum; siquidem jam ALBER-  
TVS M. Libr. IX. de animal. testatur, aliquando accidere, ut nati  
octavo mense supervivant. Ac certiores sane de partu octo-  
mestri & septimestri per experientiam esse possumus,  
quam de undicimestri; etenim si mulier octavo, vel no-  
no, post editum partum mense, denuo pariat infantem vita-  
lem atque perfectum, res utique extrā omnem dubitatio-  
nis & disceptationis aleam posita est. De septimestris  
partus vitalitate & legitimitate minus controvertitur, ex  
quo HIPPOCRATES & ARISTOTELES eum approbarunt, prio-  
ris-

risque autoritate hæc res decisa est ab VEPIANO in L. 3. §. fin. de suis & legit. hered. & à JCTO PAVLO in L. 12. de Statu hom. nec admodum miror ZACHIAM in Medico-Legal. tit. 2. qu. 3. n. 3. contendere, septimestrem partum ex naturâ non esse, credibilis enim est, octomestrem partum vitalem esse atque perfectum, quam septimestrem, nam veterum ratio illa, & in primis Hippocratis, à numero Septenario desumita, certo certius aut vana aut vanitati proxima est; Et risu procul dubio excipient TERTULLIANVM ii ad minimum qui SS. Patrum lapsus non tam excusant, quam elevant, quando legent, ipsum in lib. de Anima, cap. 37. nativitatem septimestrem plenam agnoscere in honorem Sabbathi, ut quoto die, ceu inquit, dedicata Dei conditio, toto mense interdum producatur Dei imago. Cœteroquin autem probe notandum, tam septimestres, quam octomestres partus haud parum imbecilliores esse decimatribus: hinc admodum suspectum est, si qua mulier septimo, vel octavo à nuptiis mense infantem pariat æque robustum, vel robustiorem, quam decimestres partus ordinariæ esse solent, satisque edacem, ita ut haud putarem talem pro legitimo obrudi marito posse, si pro suo eundem agnoscere ipse recusat.

## §. XXII.

Ad jura infantum procul dubio etiam spectat insigne illud beneficium à LL. concessum posthumis, & quasi posthumis, quod hi hæredes à Patre, vel Avo non instituti rumpant paternum vel avitum testamentum, diciturque tum agnatione sui hæredis rumpi id ipsum, L. 1. L. 3. §. 1. & ult. L. 4. §. 6. §. 1. 2. & pr. de injusto, irrito &c. totum autem corrucebat jure veteri testamentum, ita ut ne quidem legata præstarentur, sed plane ab intestato succelsio locum haberet, perinde ac si nullum plane factum fuisset, L. 17. eod. & pr. J. de hered. que ab intest. cuius rei ratio hæc assignari solet, quod testandi actus sit individuus, qui pro parte solum valere haud possit, L. 7. de R. J. & L. 9. C. qui test. fac. jure tamen noviori saltem quoad institutionem hæredis irritatur, cœteris firmis manentibus, Autb. Ex causa C. de lib.

præ-

preter. exhort. & Authent. Hoc amplius C. de Fideicomm. vid.  
WESTENBECK. ad d. t. injusso &c. Si tamen quali posthumus,  
ut vocari solent, h. c. ii, qui post conditum testamentum  
Patri vel Avo liberi nascuntur, vivo adhuc testatore ite-  
rum decedunt, testamentum redintegratur ac quasi re-  
convalescit, ita ut ex eadem succedatur, L. 12. d. t. non qui-  
dem stricto jure, sed ex aequitate præatoria, all. L. 12. & L. 7.  
de lib. & postb. hered. inf. itemque L. 3. C. de postb. inf.

## §. XXIII.

Partum legitimum parentibus succedere, notissimi  
juris est, §. 1. Inst. de hered. que ab intst. def. Naturæ siquidem & parentum commune votum liberos ad hæreditatem Parentum vocat, L. 7. in f. unde lib. votorumque summa parentum esse solet, liberis parare & locupletare eos, L. 50. de bon. libert. & L. 13. C. de leg. hered. Ut autem par-  
tus succedere hæreditatemque transmittere possit, opus  
est, ut vivus fuerit natus & cum spiritu editus, L. 12. §. 1. de  
lib. & postb. nec tamen etiam monstrosum, L. 3. C. de postb. hered.  
inf. ceterum non obstat, licet vel illico inter obstetricia ma-  
nus expirarit, modo vivus ex utero materno electarit, L.  
2. §. 3. C. eod. L. quod dicitur ff. de postb. & lib. L. 133. de V. S. nec  
opus est, ut vocem edat, licet id veit Jus Saxon. im Lehn-  
Recht art. 20. verbis: Wenn der Sohn nach des Vaters Do-  
de lebet also lang, daß man seine Stimme hören mag in den 4.  
Wänden des Hauses, so ist er beerbet mit seines Vaters Lehn;  
hic enim textus in desuetudinem abiit, communique ob-  
servantia admittitur qui vivus in lucem prodii, licet nul-  
lum ediderit vagitum, ARN. REYGER in Thesauro Jur. voc. Par-  
tus. addit. n. 8. modo vitam aliis signis prodiderit, e. g.  
motu capitis, brachiorum, pedum, &c. RAVCHBAR. P. II.  
qu. 15. n. 47. CÖLER. P. II. decif. 288. CARPZ. P. V. C. 17. def. 19.  
quodsi vero infans in ipso partu sit mortuus, neque suc-  
cedere, neque hæreditatem ad alios transmittere potest,  
CARPZ. c. l. def. 17. Ubi simul notandum, quod illi, qui vi-  
tam vel mortem partus pro fundamento suæ intentionis  
allegat, onus probandi incumbat, L. 15. §. 13. de excusat. Tu-  
tor.

*for. quod pluribus illustrat FULVIUS PACIANVS de probat. L.  
II. cap. 8.*

§. XXIV.

Quāri etiam solet an partus sit pro legitimo habendus, quem sponsa à sposo suo ante benedictionem sacerdotalē imprægnata, post intervenientem sponsi sui mortem, enixa est. Sunt qui negant, putantes ad hoc ut partus legitimus haberī, patrīque succēdere possit, requiri, ut matrimonium in facie Ecclesia sit contraclum; verū affirmativa sententia longe est præferenda, siquidem benedictio sacerdotalis est quidem de honestate, non autem de necessitate matrimonii; quod ex scopo fatis elucescit, ob quem solennitates nupliares, & in specie copula sacerdotalis, sunt introductæ, qui nullus aliud est, quam ut 1) decorum in contrahendo matrimonio obseretur; ac benedictio Divina primis conjugibus facta, quasi representetur, in modo novis nuptiis applicetur; & ut 2) de consensu matrimoniali, initioque ipso matrimonio, publice constet, atque sic clandestinæ scortationes, matrimonium mentientes, præcaveantur. In aprico igitur est, solennitatem benedictionis matrimonialis essentialia ipsius matrimonii non afficere: Et præterea sententiam affirmativam, quod nimirum ejusmodi partus sit pro legitimo habendus, suadet favor, quem ejusmodi partus meretur, multo magis adhuc, quam qui editus est in lucem à matre invalidum nullumque matrimonium ineunte cum quodam cuius in vivis adhuc est conjux, ex ignorantia tamen, quem nihil minus partum pro legitimo habendum præcipit Pontifex INNOCENTIUS III. in cap. 14. X. qui filii sint legit. Opus tamen est, ut in adducto antea casu mater desponsationem, si publica non fuerint sponsalia, probet, siquidem alioquin qualibet vitam meretriciam degens pro desponsata in simili casu venditare se posset.

§. XXV.

Legari quin infanti possit, extra dubium est, legatum enim donationis species est, §. 1. *Inst. de legat.* recipienda

au-

autem donationis capacem esse infantem vel ex L. 3. C. de acquir. & retin. posse. patere potest, cum juxta eandem infans rerum donatarum possessionem vel per se, sine Tutori, acquirere possit. Obstat autem omnino videtur L. 32. §. fin. de acquir. posse. utpote quæ Tutoris autoritatem requirere plausibile est. Respondere tamen solent DD. regulariter quidem id obtinere, ut autoritas tutoris interveniat ad capessendam possessionem, sed peculiare quid esse in donatione infantibus facta, hos enim rerum donatarum possessionem sibi ipsis sine Tutori acquirere posse, eo, quod in donatione non vicissim obligentur, & avidè, qua ipsis offeruntur, accipere soleant. BRVN-  
NEMANN. ad d. l. 3. ita conciliationem tentat, quod dicar, sermonem in L. 3. C. esse de re donata infanti cum Tutoris autoritate; nam rationem dubitandi esse, quia infans non intelligat: sed rationem decidendi, si ideo, quod infans non habet intellectum, non potest acquirere possessionem, tum ne quidem infanti per Tutorum acquisitam iri possessionem, quia eadem ratio militet, nam aliud esse per Tutorum acquirere, & aliud Tutori autore, illud hic præsupponi, hoc autem queri.

## §. XXVI.

Hæreditas cum acquiratur vel ex testamento, vel LL. dispositione, quanquam testamentum ipse Infans condere nequeat, ex eo tamen quemadmodum legatum, ita & hæreditatem capere eum posse, extra omne est dubium. Actiones quidem cedi haud possunt, recte tamen nomina legari, quo casu in infantem, utpote legatarium utilis transfertur actio, quam Tutores exercere possunt & debent, LENZ. de Nomin. & Action. c. 8. m. 1. sive autem ex testamento, sive ab intestato hæreditas infanti obveniat, novum & singulare jus constitutum est à THEODOSIO in L. 18. C. de jure delib. intuiru tum acquirendæ, tum transmittendæ hæreditatis. Quoad acquirendam nimisrum, ut Parenti masculo, qui infanti proximus gradu esset, liceat nomine infantis adire hæreditatem aut Bonorum Possessionem

sionem petere, & quisquis hæc fecerit, hæreditatem ipsam pleno jure infanti acquirat, quæ deinde infante mortuo, ad hæredes ejus omnes transmittatur, non obstante utrum infans in parentis esset potestate, nec ne: Parente autem nullo extante, ut liceat Tutori idem facere, quo facto similiter pleno jure acquiritur hæreditas infanti, unde ipsam, eodem mortuo, ad ejus hæredes transferri oportet.

## §. XXVII.

Quoad transmittendam autem hæreditatem hoc noviter constituit THEODOSIVS in Parente, ut si is neglexerit infantis nomine adire, & hic intra infantilem ætatem decesserit, nihilominus transmittatur hæreditas, non quidem ad quosvis infantis hæredes, sed ad ipsum Parentem, cui potestate facit eam hæreditatem jure patrio, quasi jam ante infanti quæsitam, capienda, prout ita hanc Legem explicat HUGO DONELLVS Lib. VII. Comment. Jur. Civ. Cap. 9. conf. VIGELIVS L. 28. p. 79. FACHNEVS L. 6. controv. c. 9. VARQVIUS de Succession. Lib. I. §. 8. DVARENVS ad tit. ff. de acquir. hæred. cap. 5. Extendit hæc CARPZ. P. III. Conf. 17. def. 17. ut hæreditas ad quoscunque etiam extraneos hæredes transmittatur, verum non aliter, quam si infans vixerit, & spiritum trahere visus sit, nam quod alias dicitur liberos successionis capaces esse, modo sint in utero, illud haud ita absolute verum est, cum requiratur, ceu jam antea dictum, utique, ut vivi in lucem prodeant, L. 3. de post. hæred. inst. L. 3. §. 3. de injusto rupto T. & quidem non monstrosi, cum non sint liberi, qui contra formam humani generis converso more procreantur, L. 14. de statu homin. nisi fortassis excessus solum vel defectus in membris appareat, e. g. ut loco quinque digitorum in manibus vel pedibus sex habeat &c. L. 10. §. 2. de Adilit. Edicio.

## §. XXVIII.

Ante igitur d. L. 18. C. de Jure delib. Pater pro infante solus non poterat adire hæreditatem de jure civili, quavis petere posset possessionem de jure prætorio, L. 1. ff. de Bonor.

Bonor. possess. furioso, infanti & pupillo &c. nec etiam vere non adita hæreditas ante hanc Legem quasi adita poterat transmitti, quæ condita d. L. in favorem Patris transmititur, prout late explicat SICHARDVS ad b. l.

## §. XXIX.

Dicatum antea fuit, & Tutores nomine infants adire posse hæreditatem: quodsi jam ex illorum forte negligencia aditio sit omisla, eadem vero ob mortem infants ad heredes ejus transmitti potuisset, tutores ipsos conveniri posse, dubitandum haud est. An vero, si in petendo Tutor negligenteriis fuissent, aut Tutores non solvendo forent, per beneficium restitutionis in integrum hæreditibus consuli possit, pluribus persecutur itidem SICHARDVS ad d. L. Id autem observari meretur, quoad aditio nem nomine infants inter Tutorem & Curatorem esse differentiam, cum Tutor solus possit pro intante adire. Diversitatis rationem hanc assignat SICHARDVS, quod Tute la majoris sit potestatis, & virtutis, quam cura, Tutorem siquidem non solum in personam, sed etiam in bona directionem habere notum est, quod fecus in Curatore, §. i. *Instit. de Tutel. L. 8. C. de Nupti.* Si vero de dividenda hæreditate ab intestato agatur, quamvis ad educationem pluribus egeat infans, plus tamen in divisione prætendere nequit, cum aequalitas in divisione servanda sit, CARPZ. P. III. *Conf. 15. def. 33. & ad eum ESPACH. d. l.*

## §. XXX.

Cum infants nullum LL. statuant consensum, contractum inde est, eum ex celebrato contractu haud teneri, sed saltē condicione sine causa, vel actione ad exhibendum, BARTOLVS in L. i. de Novat. nisi tamen locuples tor sit factus, arg. L. i. §. i. de Aut. tut. vel ex re veniat obligatio, L. 46. de O. & A. LUDWELL in Comment. ad *Instit. pr. d. t.* quapropter siquid in res infants impensum, illaque meliores factæ, cum hoc in casu nullo consensu prævio opus sit, sed ex ipsa re veniat obligatio, non attenta persona qualitate, cuius res est, sed tantum an res melior facta,

facta, Infantem obligari tradit STRYK. in Tr. de Cautel. Contrat. Secl. I. cap. 2. §. 5. Inde Judex admittet impensas in victum infantis factas, BARTOLVS in L. I. §. officio de tut. ration. diffrab. BALDV in L. I. C. de Episc. & Cler. CASTREN- sis Confil. 302. CRAVETTA Confil. 158. n. b. nec rejicet ob munera factas, modo utilitatem infanti attulerint, vel factæ in renumerationem eorum, qui infanti profuerunt.

## §. XXXI.

Quod si vero in rem infantis immodicæ facta sint expensæ, aut etiam in re turpi, certe ut Judex tale quid admittere non debet, ita nec Infans obligaretur, licet admisset, sed major factus omnino repeterere posset. Plura autem de hoc themate in præsentiarum in medium offere nec temporis nec chartæ angustia permittit, colophonem igitur hic impono, rogans B. L. ut si ea forsitan prætermiserim, qua ipsi quam maxime fuisse partractanda videantur, id vitio mihi haud verrat, siquidem non exasciatum tractatum, sed solum schediasma Aca- demicum elaborare meus fuit

F I N I S.




Erfurt, Diss., 1725-26

ULB Halle  
005 367 786

3



vD18



### Farbkarte #13

		B.I.G.
8		Black
7		3/Color
6		White
5		Magenta
4		Red
3		Yellow
2		Green
1		Cyan
1	Blue	
Centimetres		
Inches		

1725/13 № 8. 115  
13 14

DISSERTATIO IN AVGVRALIS JVRIDICA  
DE JVRE INFANTVM,  
QVAM  
RECTORE VNIVERSITATIS AC PRO-CANCELLARIO,  
VIRO MAGNIFICO, MAXIME REVERENDO, ILLVSTRI, AMPLIS-  
SIMO AT&QUE CONSULTISSIMO  
DOMINO  
CHRISTOPHORO IGNATIO  
DE GVDENVS, J.V.D.  
IN SIGNIS ECCLES. COLLEG. S. SEV. CAN. CAP. ET SCHOLAST. EMINENT. AC  
CELSISS. PRINC. ELECTORIS MOGVNT. CONSIL. ECCLESIAST. EJVSDEM-  
QVE PER THVRING. IN SPIRIT. SIGILLIFERO,  
EX DECRETO ET AVTORITATE ILLUSTR. JCTOR. ORDIN.  
IN PERANTI QVA ERFFVRTINA

P R A E S I D E  
DN. JOHANNE HENRICO Meier/  
JCTo,  
ELECTORAL. REGIM. CONSILIAR. DECRETAL. PROF. PVBL. VNIVERSITAT.  
ET FACVLT. JVRID. SENIORE, H. T. DECANO, NEC NON JVDIC.  
PROVINC. ASSESSORE PRIMARIO,

PRO LICENTIA  
UPREMOS IN VTROQVE JVRE HONORES ET  
PRIVILEGIA DOCTORALIA MORE MAJORVM  
ADIPISCENDI,  
DIE XXVII. JVNII ANNO M DCC XXV.  
IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI, HORIS CONSVET.  
PVBLICÆ DISQVISITIONI SVBMITTIT  
JOHANNES PAVLVS SCHMIDT, Cygnea-Misn.  
ADVOCATVS IMMATRICVLATVS.

ERFORDIAE,  
TYPIS GROSCHIANIS, ACAD. TYPOGR.